Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31499
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">

inpunitate scelerum putant esse felices. A. Et quis sapientum
magis vult esse exul inops ignominiosusque quam pollens opibus
honore reverendus potencia validus in sua permanens urbe florere
Cum enim tunc clarius testaciusque sapiencie tractatur officium cum
in contingentes populos regencium quodammodo beatitudo transfunditur
non mirarer si deus rector bonis iocunda malis aspera tribueret
Sed quia extra bonis dura malis optata concedit non sufficio
ammirari. R. Acute quidem sentis sed quod bonis dura malis opta-
ta eveniunt de hoc non solum tu sed et fere omnis populus miratur
A. Quapropter libentissime preter alios a te desidero audire quare
katholici tam gravissimam persecucionem paciuntur iter vero perver-
sorum hussitarum sic prosperatur quod quidam ipsis sic pullulantibus
et prevalentibus vertuntur in dubium dicentes videtur verisimile quod
hussite in secta sua teneant iusticiam quod si non esset ipsis sic omnia
ad nutum suum non succederet. R. Quoniam labor divisus in
partes facit respirare ideo ad verba tua non simul et semel
sed distinctim volo respondere. A. placet ut sic fiat. R. Tu
dicis quare katholici tam gravissimam persecucionem paciuntur. A.
Acio Nunquid memineris supradictorum || Ita dixi
verborum tuorum cum diceres vere impletur sermo ewan-
gelicus necesse est ut veniant scandala. A. Bene recordor
R. Audivisti eciam quomodo immensitas divine pietatis inter
hec nos consolatur et electis suis ista vertit in bonum. A. ymo
et bene recordor. R. Et quomodo. A. Per hystorias veteris
et novi testamenti audivi declaratum et signanter per mortem christi
quam a perfidis iudeis in cruce sustinuit per quam intravit in